



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

III. Lis sopita non debet resuscitari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

DE SENTENTIIS  
ET INTERLOCVTIONIBVS.

## CAP. I.

*Alexander III. episcopo Norwicensi & abbati  
de Euesham.*

SCRIPSIMVS vobis ad suggestionem H. clerici, vt causam inter ipsum & R. super capella N. diligentius audire debeatis, & sub certa forma terminare, omnino immemores existentes, quod eam prius aliis iudicibus commissimus, dilecti autem filii nostri S. & R. suis literis nobis intimarunt, quod ipsi prædictam causam sibi a nobis, appellatione remota, commissam, ordine iudiciario terminarent. Quare a prænominatis iudicibus veritatem studiosius inquiratis, & si noueritis eos super causa memorata definitam protulisse sententiam, nullatenus in causa ipsa procedatis: & si forte processistis, nec mandatum nostrum, nec factum vestrum volumus eorum sententiæ derogare. Sed vobis firmiter iniungimus, vt prænominato H. perpetuum super eadem causa auctoritate apostolica imponatis silentium.

CAP. II. *Idem eisdem.*

Cum aliquibus adiudicata est possessio, non sufficit eis pignora dari, nisi corporali gaudeant possessione.

CAP. III. *Item R. VVigorniensis episcopo.*

Causam quæ vertitur inter fratres Dunelmensis monasterii, & monachos sancti Albani super ecclesia de \* Tene-<sup>\* Tene-  
muda</sup>, audiatis, & appellatione cessante terminetis, illud inter cetera specialiter prouisuri, vt fratres Dunelmensis ecclesiæ auctoritate & assensu episcopi causam ingrediantur, ne si fratres sancti Albani obtineant, episcopus Dunelmensis se abbatem illius ecclesiæ proponens, litem sopitam valeat suscitare.

## CAP. IV.

Archidiaconis de ecclesiastica institutione non videtur